

2

deberet. Temperamentum illud, ait, non in eo consiliet, ut vel tantil-  
sum de Zelo remitteramus illo, aut vel minimum quiddam in prejudicium  
veritatis faciamus vel admittamus, aut denig; scgenes illius defensores  
simus. Quia in re gravissime & inexcusabili modo peccatur ab ijs, qui  
Zelum prudentia ita temperandum esse putant, ut veritatem non de-  
fendant, vindicent, promoteant, metu offensionis aut spe compensationis  
humanae. Hanc prudentiam esse, queso, nemo sibi persuadeat, nisi  
prudentiae sit, scelus committere, talennum defodere, veritatem pro-  
dere — sed vera prudentia, qua Zelus temperandus est, in eo consiliet,  
ut Zelo illo bene & utiliter ad gloriam Dei, edificationem Ecclesie, concor-  
diam membrorum illius inter se, regni denig; Christi incrementum & Sata-  
nicæ tyrannidis destructionem utamur. Et hæc ille quam verissime.  
Qvò magis ergo Satanus, veritatis ille intensissimus hostis, contro-  
versiarum tractationem ex Ecclesia ejectam atq; profligatam cupit,  
eo magis pro salute illius est excubandum. Si vero unquam du-  
tissimum necessitatis telum nos coëgit, certè nunc ad pia voca-  
mur bella, iniqvissimis his, qvibus nos vivimus, temporibus; &  
vigiliæ erunt agendæ, ubi perniciosissimi errores sub pietatis  
prætextu non solum proponuntur, sed etiam accerrime defendun-  
tur, & non pauci qvibus infidias atq; fraudes nosse & cavere per  
œtatem non licet, miserrime decipiuntur. Atq; sic qvò magis  
tectum occultumq; est venenum, eo majori cum periculo serpit,  
indeq; eo fortiori cura & studio vitari debet. Eum hodiernarum  
controversiarum statum esse, nemo cordatus ambigit; hinc quo  
magis hi in fide errores sese occultant, & externa specie fallunt,  
eo studiosior danda est opera, ut in solis lucem exponantur. Ea  
solicitude quantum exercuerit dulcissimum nostrum Salvatorem,  
in denudandis Phariseorum erroribus externo obductis splendore;  
totus sacer Evangelistarum testatur Codex. Quantum defatigaverit  
Apostolos in detegendis Pseudo-Apostolorum larvis, quam plu-  
rimæ Sacrarum Literarum paginæ testimonium perhibent plane  
indubitatum. Quantum vetus Ecclesia adhibuerit studium qvan-  
tamq; diligentiam in profligando & Semi-Arianismo & Semi-  
Pelagianismo, cana antiquitas vices testium sustiner. Et profecto  
si ille conservandæ defendendæq; fidei Zelus non fuisset, nullos  
habuisset Ecclesia unquam Martyres, nullos nacta esset veritatis  
testes.